

solvissse contra officium est? Si furto quaesita sciens suscipias, ut fraudetur qui amiserat, nonne contra officium est? Est etiam contra officium nonnunquam solvere promissum, sacramentum custodire: ut Herodes, qui juravit quoniam, quicquid petitus esset, daret filiae Herodiadis: et necem Joannis praestitit, ne promissum negaret¹⁾. Nam de Jephthe quid dicam, qui immolavit filiam²⁾, quae sibi victori prima occurrerat, quo votum impleret, quod sponderat, ut quicquid sibi primum occurrisset, offerret Deo? Melius fuerat nihil tale promittere, quam promissum parricidio solvere. Haec quanti consilii sit prospicere, non ignoratis. Et ideo eligitur levita, qui sacrarium custodiat, ne fallatur consilio, ne fidem deserat, ne mortem timeat, ne quid intemperantius gerat, ut specie ipsa gravitatem praeferat: nec solum animum, sed etiam oculos continentes habere quem deceat, ne vel ipse frontem sobrietatis fortuitus violet occursus: quoniam qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, adulteravit eam in corde suo³⁾. Ita adulterium non solum facti colluvione, sed etiam aspectus intentione committitur. Magna haec videntur, ac nimis severa, sed in magno munere non superflua, quando tanta est levitarum gratia, ut de his Moyses in benedictionibus diceret: Date Levi viros ejus, date Levi manifestos ejus, date Levi sortem suffragii sui, et veritates ejus viro sancto, quem tentaverunt in tentationibus, maledixerunt super aquam contradictionis. Qui dicit patri suo et matri suae: Non novi te; et fratres suos non cognovit, et filios suos abdicavit: hic custodit verba tua, et testamentum tuum observavit⁴⁾. Illi ergo viri ejus, et manifesti ejus, qui nihil in corde doli habeant, nihil fraudis occultent, sed verba ejus custodiant, et in corde suo conferant, sicut conferebat et Maria⁵⁾: qui suos parentes officio suo non noverint praeferendos, qui violatores ode-

1) Matth. 14. 2) Judic. 11. 3) Matth. 5. 4) Deut. 38. 5) Luc. 2.